

### . 1336-1336- OFP - Acta Capitulorum Generalium Brugis Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis Brugis celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXXVI° ·

#### **Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri ordinis speciali, addatur statim post et dicatur sic: Nullus religiosus professus cuiuscumque ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licencia magistri ordinis vel capituli generalis. Et hec habet · ii · capitula.

Et volumus et ordinamus, quod ista medio tempore inviolabiliter observetur.

#### **Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In ympnis beate virginis: Quem terra, et: O gloriosa domina, addatur in fine immediate ante versum: Gloria tibi domine: Maria mater gracie etc. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc, quod de beato Marciali episcopo et confessore fiant tres lectiones · xvi · kalendas iulii; et magister ordinis de officio providebit. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum generalis et provincialis capituli, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: nolumus tamen, quod aliquis, qui in precedenti capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi valeat in anno diffinitorum proximo subsequenti. Et hec habet · iii · capitula.

#### **Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: quod constitucio in capitulo de electione prioris conventionalis, que dicit, quod fratres, qui de una provincia ad aliam mittuntur, non sunt ad electiones admittendi, quoisque per annum continuum a tempore sue assignacionis immediate precedente electionem faciendam steterint in domo alterius provincie, ad quam missi fuerint, intelligenda est solum de fratribus, qui ad alias provincias causa studii mittuntur, et non de fratribus translati totaliter de una provincia ad aliam et eisdem simpliciter assignatis.

#### **Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Cum bona consistencia ordinis nostri dependeat totaliter ex personis ydoneis et in bonis moribus educatis, mandamus et districte imponimus fratribus universis, quod de attrahendo iuvenes aptos pro ordine sollicitam curam gerant, et ne recepciones aptorum iuvenum propter eorum paupertatem forsitan omittantur, volumus et imponimus prioribus universis ac vicariis eorumdem, quatenus de vestibus et aliis pro receptione noviciorum necessariis prompte et sine difficultate provideant in hoc casu. Nullus vero notorie illegitimus recipiatur ad nostrum ordinem nisi de prioris provincialis licencia speciali, quam non concedat, nisi ex evidenti causa et condicione persone ad magnum bonum ordinis tendere videatur. Et ne propter defectum noticie recipiendorum contingere possit error, volumus et ordinamus, quod novicii de terminis unius provincie nati in alia provincia vel de terminis unius conventus in alio conventu nequaquam recipientur, nisi de magistri ordinis vel priorum provincialium aut vicariorum generalium licencia speciali vel ad preces priorum et conventuum, de quorum terminis fuerint oriundi vel nisi persona petens ordinem sit multum spectabilis et honorabilis pro ordine, nec possit sine dispendio magistri ordinis vel prioris provincialis licencia expectari, conventibus generalia studia habentibus duntaxat exceptis. Et ne propter defectum bone educationis iuvenes a principio malis moribus imbuantur, mandamus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut ipsi in suis provinciis diligenter provideant de religiosis conventibus tot, quot iudicaverint expedire, ad quos novicii aliorum conventuum mittantur, sub cura et diligencia magistrorum, qui ad hoc per provinciales electi sint specialiter, in bonis moribus educandi. Quod ut possit melius observari, volumus et mandamus, quod novicii excepto magne necessitatis articulo ad terminos non mittantur. Ut autem magistro ordinis ac generali capitulo innotescat, qualiter presens ordinacio fuerit observata, mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus singuli numerum conventuum et fratum suarum provinciarum tam professorum quam noviciorum per diffinitores suos mittant ad sequens capitulum generale.

Item. Cum ex insufficiencia lectorum ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis in virtute sancte obedientie de diffinitorum consilio et assensu, prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod in assignando lectores et sublectores semper proponant illos, quos pensatis moribus et scientia iudicaverint meliores, et iam assignatos, de quorum insufficiencia clare constiterit, si sufficiiores convenienter habere valuerint, a dictis officiis amoveant et absolvant. Lectores vero et sublectores a prioribus provincialibus compellantur per penas graves et, si oportet, per preceptum, legendu, studendo et disputando studio diligenter insistere et lectiones cum ceteris actibus scolasticis continuare. Quicumque vero lectores principales vel sublectores lectiones suas non continuaverint, nisi causam legitimam habuerint, volumus, quod nulla gracia fungantur titulo lectoratus nec lectores re vel nomine reputentur, et nichilominus in penam a suis officiis absolvantur. Provideant eciam priores provinciales et capitula provincialia de modo compellendi efficaciter studentes et fratres alios sequi scholas, et singuli diffinitores provincialium referre teneantur ad sequens generale capitulum, qualiter singula puncta huius ordinacionis in suis provinciis fuerint observata.

Item. Cum circa ea, que pacis sunt, studere summopere debeamus et omnem perturbationem ordinis precavere, inhibemus fratribus universis, ne ex causa aliqua nisi nimis necessaria et urgente occasionem assumant in Romana curia litigandi, sed tanquam nuncii pacis et veri pauperes spiritu prelati et rectoribus ecclesiarum cum

omni humiliitate reverenciam exhibeant et ab illis caveant, per que posset racionabiliter ipsorum prelatorum et rectorum ecclesiarum contra ordinem perturbacio generari.

Item. Cum ordinacio de sequela communitatis facta in precedenti generali capitulo Londoniis celebrato<sup>1</sup> a quam plurimis male fuerit observata, volumus et ordinamus, quod priores et supriores refectorium continent nec ab illo se absentent, nisi ex causa multum necessaria et urgente, et in casibus, in quibus per constituciones facultas comedendi extra refectorium fratibus indulgetur; et ad idem fratres alios omni affectione semota diligenter compellant. Qui vero huius ordinacionis inventi fuerint contemptores, in penam a suis officiis absolvantur et penis alii puniantur. Omnem autem graciam factam cuicunque a magistro ordinis vel a prioribus provincialibus, quod non teneantur sequi chorum vel refectorium simpliciter vel in parte, quodque questam non teneantur facere nec confirmari possint in priores sine suo beneplacito vel assensu seu compelli ad idem, et quod non possint notari in tabula ad officia ordinis nec compelli ad predicandum nec mutari de conventibus, et quod possint discurrere ad villam vel per terminos vel per provinciam sine priorum suorum licencia speciali, et quod in rebus et libris sibi mutuo succedere ac de rebus suis valeant ordinare: has omnes gracias sub quacunque forma verborum concesse fuerint, quia bono communitatis plurimum derogant, revocat magister ordinis simpliciter et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater extra quatuor loca per constituciones concessa comedat, confectionibus et fructibus duntaxat exceptis, nisi cum personis spectabilibus et magni status, que interdum in expensis propriis ad loca nostra declinant vel in casu infirmitatis seu debilitatis, que a predictis locis racionabiliter eos excusent iudicio presidentis. Gracias quascunque huic ordinacioni contrarias sub quacunque forma verborum existant, eciamsi de revocatione earum mencio fieri deberet, sive a magistro ordinis sive a prioribus provincialibus sint concesse, denunciantes penitus revocatas.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater omnes missas suas unius anni vel plurium aut de facto, cum de iure non possit, eas quibuscunque conferat seu pro annualibus obvencias certas pro persona sua recipiat quoquo modo.

Item. Cum secundum regulam nostram nullus frater solus ire debeat, nec gravi suspicione et scandalo careat, quod frater solus sine socio evagetur, volumus et ordinamus, quod frater quicunque per provinciam aliquam solus discurrere inventus fuerit, nisi se gratis conventui alicui et ordini obtulerit, capiatur et includatur, nisi possit de causa legitima docere, que posset eum racionabiliter excusare, quoisque per priorem provincialem ipsius secundum eius merita fuerit aliter ordinatum.

Item. Cum ex dampnabili temeritate quorumdam, qui se intromiserunt de practica medicine, gravia scandala in quibusdam partibus sint sequuta, et nisi cohibeantur, in posterum sequi possint, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater de practicando in medicina se intromittat, nisi in seculo licenciatus fuerit vel notorie peritus in sciencia medicine, nisi super hoc a suo priore provinciali habuerit licenciam specialem.

Item. Cum fratres conventus Mediolanensis, in quo corpus b. Petri martyris requiescit, ad honorem eiusdem martyris sepulchrum hedificare incepert in forma et materia simile per omnia sepulchro beati Dominici patris nostri, nec ad expensas sufficientanti operis, exhortamur omni affectione, qua possumus, fratres singulos necnon eiusdem imponimus in suorum remissionem peccatorum, quatenus personis devotis eidem glorioso martyri suadeant, quod per suas elemosynas ad tam sanctum opus manus porrigit adiutrices. Piores eciam provinciales fratres provincialium suarum super hoc moneant diligenter, et quidquid habitum fuerit sive collectum, mittatur ad sequens capitulum generale.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum reverendi patris magistri ordinis de non eundo ad curiam Romanam sine sua licencia speciali, et sentencia excommunicationis per eum lata super hoc apud Divionem in capitulo generali<sup>2</sup> cum omnibus clausulis et penis ibidem appositis, necnon et concessio facta prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, durant continue modo et forma, quibus in actis eiusdem capituli continentur; adiuentes, quod magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu idem preceptum et privacionem graciarum ordinis extendit in illos, qui sine assensu magistri procurant sibi licenciam eundi ad curiam per personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam.

Item. Volumus et ordinamus, quod acta capituli generalis legantur semel in quolibet conventu in singulis mensibus anno isto.

### Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Anglie et Saxonie.

Absolvimus priores conventuales Aurelianensem, Carnotensem, Beluacensem, Bituricensem, Blesensem, Remensem, Virdunensem, Tullensem, Lugdunensem, Lingonensem, Constanciensem, Ebroyensem, Guymgapensem, Montis Relaxi, Leodiensem, Belueariensem et sancti Iohannis.

Et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus resumantur.

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 231 l. 35 sqq.

<sup>2</sup> Cf. supra pag. 131 l. 1 sqq.

Denunciamus fratribus universis, quod magister ordinis nullum fratrem deinceps de gracia vel per contribucionem mittet Parisius vel ad aliud studium generale, nisi prius habita littera testimoniali prioris provincialis illius provincie, de qua frater mittendus fuerit, vel sui vicarii generalis de moribus et sciencia ipsius. Precipit autem magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod de moribus et sciencia fratrum de suis provinciis ad generalia studia mittendorum testimonium fidele perhibeant magistro ordinis, quando ab ipso fuerint requisiti. Et ut error, si quis circa iam missos commissus fuerit, corrigi valeat per magistrum, sub eodem precepto mandat magister ordinis prioribus provincialibus vel eorum vicariis generalibus, quod quamcito commode poterunt, mittant magistro ordinis fidele testimonium de iam missis.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Poncio de Flisco, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia · iii · florenos pro anno presenti. Provinciales autem illarum provinciarum, qui pro duobus annis preteritis non solverunt eidem, sub eodem tenore precepti infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Item. Significamus, quod fr. Petrus Guidonis, prior Carcassonensis in provincia Tholosana, ex devocione quam habet ad sanctos et illustres viros ordinis nostri assumpsit sibi studium componendi libellum de miraculis et gestis insignibus predictorum; quapropter rogamus fratres omnes et singulos, quatenus quicunque habent in noticia miracula vel facta memorabilia sanctorum et fratrum nostrorum, qui ex hoc seculo transierunt, curent ea sollicite mittere, quamcito poterunt, dicto fratri<sup>3</sup>.

Item. Ordinaciones, quas frater Franciscus de Belluno vicarius generalis in provincia Ungarie per precedens Londonense capitulum institutus fecit in dicta provincia Ungarie, approbamus et confirmamus<sup>4</sup>. Et vult magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod in suo vigore maneant, donec per ipsum magistrum ordinis correcte fuerint vel mutate.

Facimus vicarium generalem in provincia Anglie fratrem Guillelmum de Watsdene, magistrum in theologia, donec prior provincialis illius provincie electus fuerit et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Saxonie fratrem Henricum de Lubec<sup>5</sup>, donec prior provincialis illius provincie electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Herbertum Senonensem de provincia Francie<sup>6</sup>.

Item. Assignamus, quantum nostra interest pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Parisium Parisii de provincia Provincie<sup>7</sup>.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Peregrinum de Mercatore magistrum in theologia de provincia Tholosana<sup>8</sup>; et volumus, quod magister Garinus de Gyaco<sup>9</sup> magister in theologia legat Parisius in scholis, in quibus frater Peregrinus precedens actu legit, quoisque per magistrum ordinis dicto fratri Garino fuerit de successore provisum.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania et salve regina in choro post horas more solito dicantur. Sentencias iudicum approbamus. Sequens generale capitulum assignamus in conventu Valentino in provincia Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capitulo ante · vi · feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel per capitulum generale.

Volumus autem et ordinamus, quod diffinitores de capitulo redeentes bene recipientur et secundum facultatem conventuum karitative tractentur.

Explicit acta capitulo generalis Brugis celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXIII.

<sup>3</sup> De fr. Petro Guidonis cf. SSOP. I. 625.

<sup>4</sup> Cf. supra pag. 234 l. 24 sqq.

<sup>5</sup> De fr. Henrico de Lubec cf. SSOP. I. 590.

<sup>6</sup> De fr. Heriberto cf. supra pag. 235 l. 12.

<sup>7</sup> De fr. Parisio cf. DENIFLE l.c. indicem.

<sup>8</sup> De fr. Peregrino cf. supra pag. 235 l. 15.

<sup>9</sup> De fr. Garino cf. supra pag. 186 l. 26.